



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, M. DCC. XIX.**

Casus VI. Argumentum. Neophitus promotus ab Episcopo ad SS. Ordines,  
& provisus de beneficio Ecclesiastico Jurispatronatus, an, & quando non  
indigeat absolute cum rehabilitatione ad ordines, nec ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

juramentum Oratoris; in reliquis verò exquiri debere testimoniales Ordiniorum eorum Locorum, in quibus moram traxit; quia cum ibi canonico aliquo impedimento irretiri potuerit, proinde necessariè videntur testimoniales Ordiniorum, prout ab hoc *Canone* præscribitur.

Et ita resolutum fuit ab eadem S. Congregatione in *Romana* 21. Maji 1718.

### ARGUMENTUM.

Neophitus promotus ab Episcopo ad sacros Ordines, & provifus de Beneficio Ecclesiastico Jurispatronatus an, & quando non indigeat absolute cum rehabilitatione ad Ordines, nec nova, provifione Beneficiorum.

### SUMMARIUM.

- 1 Neophiti, an, & quando sint irregulares.
- 2 Promotus ad Sacerdotium capax est consequendi beneficia absque ulla dispensatione.
- 3 Filii Hæreticorum sunt incapaces Beneficiorum Ecclesiasticorum; secus nati à Parentibus Turcis.
- 4 Promovendi ad Episcopatum debent esse nati à Parentibus Catholicis secus promovendi ad alia Beneficia inferiora.

### C A S U S V I.

**J**oannes Baptista Simon Vivier natus à Patre, & Matre Turcis, Sacramentum Baptismi recepit in infantili ætate, & omnibus sacris Ordinibus, non excluso Presbyteratu, fuit initiatus ab Episcopo Melevitano, qui suæ originis perfectam notitiam dicitur habuisse. Assumptus etiam fuit ad officium Substituti Cancellariæ Curia Episcopalis, & ab Ordinario fuit provifus de Beneficio Ecclesiastico jurispatronatus Laicorum; Cumque Sedes Apostolica alterum eidem Beneficium contulerit; Quæsitum fuit à S. Congregatione Concilii.

Primo = *An Orator indigeat absolute cum rehabilitatione ad Ordines.*

Secundo = *An indigeat nova provifione Beneficiorum* = & quatenus affirmative.

Tertio = *An eidem indulgenda sit absolutio cum rehabilitatione ad Ordines, & cum nova Beneficiorum provifione* =

Quæ omnia prout infrà resolvenda dicebam; Ad primum nimirum *negative*: Tum quia Orator fuit promotus ad Ordines ab Episcopo Melevitano cum facultate sibi tributa eum ordinandi in quadam Epistola S. Officii ipsi scripta de anno 1696. Tum etiam quia licet Neophiti sint irregulares juxta Canones à Gratiano relatos *dist. 48.* hoc tamen procedit in his, qui fuerunt baptizati in adulta ætate, & qui de recenti conversi sunt, juxta *Suarez de censur. disp. 43. sect. 3. conclus. 2. n. 5.* non verò applicatur illis, qui in infantili ætate constituti Baptismum receperunt; sicuti nec procedit, quo ad eos, qui licet Baptismum in adulta ætate receperint, post aliquod nihilominus temporis intervallum, & experimentum, idonei ab Ordinario reputantur pro sacrorum Ordinum receptione, juxta *Gibalin. de Irregul. cap. 3. propos. 3. Diana in editione coordinata tom. 5. tract. 5. resol. 47. Suarez ubi supra nu. 6. & seq. Sanchez in præcept. Decal. lib. 2. cap. 28. num. 11. Bonacin. oper. moral. tom. 1. de Irregul. quæst. 2. punct. 1. propos. 3. num. 5. Corrad. in prax. dispens. lib. 3. cap. 7. num. 2. & seq. Ricciul. in tract. de Neophit. cap. 3. sub nu. 4. S. Pugnantes.* Et optimè ponderavit R. P. D. meus Lambertinus in *Folio* impresso, & ab ipso eruditè extenso.

- 2 Ad secundum pariter *negative*; Orator namque jam est promotus ad Sacerdotium, ac proinde capax est consequendi beneficia absque ulla dispensatione. *Ricciul. de Neophit. cap. 4.*
- 3 Non obstat Textus in *cap. Quicumque S. Hæretici de hæret. in 6.*; nec Constitutio 6. Gregorii XIV. §. 9. De qua supra *Can. XXI.*; quia Textus loquitur de Filiis hæreticorum, & dicit eos esse incapaces Beneficiorum Ecclesiasticorum, non verò de nato à Parentibus Turcis, & *Constitutio* loquitur de promovendis ad Episcopatum, qui debent esse nati à Parentibus Catholicis; non verò de promovendis ad alia beneficia inferiora. Ex quibus sequitur ad tertium esse satis provifum.

Et ita resolutum fuit ab eadem Sacra-  
Con-

Congregatione in *Melevitana* 13. *Augusti* 1718.

### ARGUMENTUM.

Episcopus an, & quando teneatur conferre Clericatum nominato ad Beneficium Ecclesiasticum; & an quis promoveri possit ad titulum Cappellania, seu Beneficii amovibilis.

### SUMMARIUM.

- 1 *Reposita est in libertate Episcopi propriis subditis Ordines concedere, vel denegare.* Intellige ut nu. 5.
- 2 *Renitentia Episcopi in concessione Ordinum est laudabilis.*
- 3 *Episcopus ex justa causa denegare potest Ordines etiam arctatis.*
- 4 *Laborans morbo epileptico est incapax se promovendi ad Sacerdotium.* Intellige ut nu. 7.
- 6 *Vocatus à Fundatore ad Beneficium, vel nominatus à Patrono, dicitur quodammodo arctatus primam Tonsuram suscipere.*
- 8 *Non potest quis promoveri ad titulum Cappellania, sive Beneficii amovibilis.* Limita ut nu. 10.
- 9 *Nec ad titulum Cappellania merè Laicallis.*

### CASUS VII.

**Q**uidam Fundator auctoritate Ordinarii fundavit, & erexit beneficium habitu Sacerdotale, cum reservatione juris patronatus tam activi, quam passivi favore suæ familiæ; vacato beneficio per obitum ultimi Rectoris, Patronus nominavit ad illud Titium ejus Filium de Familia à Fundatore prædilectum, qui cum esset Laicus preces porrexit Episcopo, ut ipsum Clericali Tonsura initiaret; Episcopus autem sub prætextu, quod esset Filius unicus, & inhabilis ad Sacerdotium, eo, quod olim passus fuit deliquium, quod dubitabatur processisse ex accidenti epileptico, denegavit eidem hujusmodi Clericatum; quæritur proinde in hoc casu an Episcopus teneatur ei conferre Clericatum?

1 Respondendum videtur negativè; Quoniam reposita est in libero Episcoporum arbitrio, propriis subditis Ordines concedere, vel denegare, non solum de jure antiquo ad *Text. in cap. Ad aures de temp. ordin.*, verum etiam ex jure novissimo sacri Concilii Tridentini *cap. 2. sess. 21. de reform.* ibi = *Nisi illi, quos Episcopi judicaverint assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum* = & valde laudabile est in Episcopo, quod ipse sit potius renitens, quam facilis in concessione ordinum sanctius est paucos bonos, quam multos malos habere Ministros, ut monuit Clemens in *Can. Tales dist. 23.* ibi = *Tales ad ministerium eligantur Clerici, qui dignè possint Dominica Sacramenta tractare; Melius est enim Domini Sacerdoti paucos habere Ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant* =

Non obstat, quod Titius utpotè vocatus ab ipsomet Fundatore ad hujusmodi beneficium sit arctatus; siquidem Episcopus ex justa causa denegare potest Ordines etiam arctatis, ut probat *R.P.D. meus Petra, in comment. ad Constit. Apostolic. tom. 1. pag. mibi 326. num. 23.* In præsentiarum duplex concurrere videtur causa, prima est, quod Titius sit Filius unicus, ex quo dubitari potest ipsum Clericalem militiam assumere velle, non ut fidelem cultum Deo præstare possit, sed ad effectum fugiendi sæculare judicium, *Fagnan. in cap. Cum sit ars de atat. & qualit. n. 14.*

4 Altera, quia dubitatur eundem esse subiectum accidenti epileptico; & consequenter est incapax se promovendi ad Sacerdotium, infra annum, prout dictum beneficium requirit, ad *Text. in Can. 3. dist. 33.*

5 His tamen minimè attentis censeo in hoc casu, Episcopum teneri promovere Titium ad primam tonsuram; Distinguedum est enim quoad Promovendos ad Ordines, inter arctatos, & non arctatos, certum est Episcopum habere liberam facultatem concedendi, vel denegandi Ordines eis, qui non sunt arctati juxta auctoritates superius relatas, tenetur tamen promovere ad Ordines eos, qui sunt arctati, vel ratione Ordinis, nimirum ex eo, quia habeat e. g. Subdiaconatum, iste enim non tenetur stare in tam stricto sta-